Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25999
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cum illo ab operibus suis. ut etiam crederent uel expectarent resurrectionem carnis. ce-
lebrandam etate octaua mundi. in cuius fidei signum circumcisionem susceperunt
octaue diei. XVII

ET DIXIT ad me. Hoc est gazophylacium quod respiciebat uiam meridianam
sacerdotum, qui excubant in custodiis templi. Porro gazophylacium quod
respicit ad uiam aquilonis. sacerdotum erit qui excubant ad ministerium altaris.
Notandum quod sacerdotes quibus custodie templi delegate sunt habitant in
gazophylacio quod respicit ad uiam meridianam in qua lux plenissima est, hi autem
qui excubant ad ministerium altaris in quo offeruntur uictime pro peccato. in ga-
zophylacio sunt quod respicit uiam aquilonis. eos qui ab aquilone ueniunt et
offerunt uictimas pro peccatis suscipere et saluare cupientes. Nimirum utrumque
hoc gazophylacium una sancta scriptura est, in qua thesaurus noster si uere sumus diuites.
si in littere theca aurum spiritus et sacramentorum Christi preciosos nouimus possidere lapi-
des. Hoc tale gazophylacium tam ad meridiem quam ad aquilonem patet, quia
nimirum si scripturas attendas maxime propheticam. diuitias salutis non minus iu-
deorum quam gentium possidet. Qui autem sunt hi sacerdotes? Ait. Isti sunt filii Sadoch
qui accedunt de filiis Leui ad dominum ut ministrent ei. Sadoch iustus interpretatur.
Porro iusticie principium fides est, per quam et ante circumcisionem Abraham iustifi-
catus est. Credidit enim Abraham deo. et reputatum est ei ad iusticiam. Bene ergo non dixit.
isti sunt filii Abrahe aut filii Israel. aut certe filii Leui, sed isti sunt filii Sadoch. Non enim
omnes qui ex Israel hi sunt Israelite. neque qui semen sunt Abrahe omnes filii. sed in Ysaac uoca-
bitur tibi semen, id est non qui filii carnis hi filii dei. sed qui filii promissionis estimantur
in semine. Igitur isti quoque gazophylacia hec sunt qui iure excubent in custodiis
templi uel ad ministerium altaris. isti inquam sunt filii Sadoch. filii iusti dei. uel Christi
filii dei, et inde ueraciter filii Abrahe quia filii iusticie. Et mensus est atrium longi-
tudine centum cubitorum. et latitudine centum cubitorum. Hic eodem sensu quo et
in exteriore atrio centeni cubiti intelligendi sunt. Nam fideles carnis
Christi patres. quorum ex carne quia templum corporis eius constructum est. idcirco illos
atrium interius esse dicimus, pro peregrinatione qua intra aliena propter promissionis
spem peregrinati sunt centuplum acceperunt. Et enim iuxta apostolum aspicientes in
remunerationem, nequaquam expectatione sua frustrati sunt. Et altare ante fa-
ciem templi, fides eorundem patrum extitit. que digna occursione constructio-
nem eiusdem templi id est incarnationis Christi preuenit, que statim in hoc propheta mys-
ticis designatur mensuris incipiendo sic. XVIII

ET INTRODUXIT me in uestibulum templi. et mensus est uestibulum
quinque cubitis hinc. et quinque inde, et latitudinem porte trium cubitorum.